



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Honori[i] Reggi[i] Kemnathensis De Statu Ecclesiæ  
Britannicæ Hodierno, Liber Commentarius**

**Horn, Georg**

**Dantisci, 1647**

De Cretensi Johanne Goodwin.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34026**

parochiarum multiplicari queant, omnibus Provinciis maximè maritimis mandat, videant ne illud malum in hoc regno radices figat, sed ut pax & uniformitas in Religione & disciplina inviolata conservetur, neve quicquam irrepatur servitio Regis adversarium. *Garrisole Moderator, Basnage Adjunctus, &c.*

### *De Cretensi Johanne Goodwin.*

Contra *Gangrænam Thomæ Edoardt* quidam Joh. Goodwin Cretensem opposuit, ipse Cretensium mendacissimus, quem omnes norunt solis calumniis & maledicendo nobilis, qui Presbyterianos & sanctum illud regimen nusquam non scurriliter exagitat. Pauca introspiciamus. *In frontispicio vocat se fautorem sanctorum.* Ubi, ut & in toto opere, per sanctos intelligit Schismaticos suos, & Brownistas. *Enimvero mirum cui videri possit, cum Edoardus inter alios errores Anabaptistarum, Antinomorum, Arianorum recenseat, qui haud dubiè Independentes sunt, & se tales profitentur; calumniatorem tamen illos omnes, nullâ distinctione factâ, sanctorum titulo includere, & nihil aliud possim crepare, quam classicos, Profelytos, classicam factionem, Prudentiales.* Et vide jactantiam hominis stolidam! *Independentia, inquit, caput suum extulit supra Presbyterium: Quantum lenta solent inter viburna cupressi; ut cedrus Libani supra carduos.* Tum ille Theomachus iterum contrapios flavam bilem evomit, cùm Presbyterianos Episcopis comparat, & hos tantùm ~~obligari~~ nugatur. *Enimverò lamentabilis res est, quenquam Christianum adeò projectæ impietatis esse, ut illa horrenda, quorum catalogum Edoardus pio domus Dei zelocompilavit, pro leviculis habeat; & ipsa ad id Apocalypsi abutatur, ac proclxxx haeresibus myriadas sibi exoptet.. Nec vanissimus homo se*

contineat.

continere potuit, quin omnes omnino Ecclesias orthodoxas calcaret fastu suo: Adeò, *inquit*, versatus sum in controversia de Imputatione fidei & Christi activa obedientia in justificatione, ut heic provocem omnes ordine Presbyteranos, sive in Synodo congregatos vel sigillatim, in Anglia, Scotia, Francia, Hibernia, si probare possint ex Scriptura, per rationes & argumenta, vel fidem non imputari propriè, vel activam obedientiam Christi, formaliter spectatam, imputari ad justificationem. *Hæc Thraso Cretensis.* Mille calumniarum formas sibi Morpheus ille assumit. Tandem Presbyteranos Jesuitis assimilat, furiosâ mentiendi cupidine. Cætera ipsum Edoardum spectant, & tria exempla negat vera esse; id quod de Cozeno Rocestriensi, Nicolao, & disputatione Calamii cum Anabaptistis referuntur; quæ authori vindicanda relinquimus.

*Synodus Nationalis Reformati orbis, unicum componendæ Angliæ remedium.*

**M**ulti sapientes, rerumque Ecclesiasticarum gnarissimi viri, in ea opinione sunt, finem controversiis, quæ Angliam exagitant, nunquam impositum iri, nisi vocatâ ex transmarinis quoque regionibus Nationali Synodo. Idque in primis Belgarum exemplo illustrant atque confirmant. Nam parem ferè, Independentium & Arminianorum, rationem esse. Utrosque cavillationibus suis, & tergiversatione, Ecclesiam pariter ac Rempublicam pessundare, nisi Senatus Theologorum Reformati orbis, eos ad modestiam & ordinem, salubribus consiliis, & si opus, censuris, revocet: Neque negari potest,